

pertinere? Ergo arbores serit diligens agricola, quarum adspiciet baccam ipse nunquam: vir magnus leges, instituta, rem publicam non seret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare? Quid illud? num dubitas, quin specimen naturae capi debeat ex optima quaque natura? Quae est igitur melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines iuvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? Abiit ad deos Hercules. Numquam abiisset, nisi, quum inter homines esset, eam sibi viam munivisset. Vetera jam ista, et religione omnium consecrata.

Cap. XV. Quid in hac re publica tot, tantosque viros ob rem publicam interfectos, cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? Nemo umquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offeret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quæram, mihi: sed nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existit maxime, et apparet facillime. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus, et periculis viveret? Loquor de principibus. Quid poëtae? nonne post mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud?

Adspicite o cives, senis Enni imagini' formam.

Hic vestrum pinxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria: idemque,

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu

Faxit, cur? voluto vivo' per ora virum.

Sed quid poëtas? Opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ,